

Alte Drucke

**C. IVLII || CAESARIS || COMMEN-||TARII. || Quæ in hac
habeantur editione, sequens || pagella docebit. ||**

Caesar, Gaius Iulius

Lvgdvni, 1534

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIB. SEXTVS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150541

marū, neu quis quenq; prius uulneret, quā illum interfe-
ctum uiderit, quod mora reliquorum illum spatium na-
ctū effugere nolebat, magna proponit, ijs qui occiderint
præmia, summittit cohortes equitibus subsidio. Compro-
bat hominis consilium fortuna, & cum unum omnes pe-
terent, in ipso fluminis uado deprehensus Induciomarus
interficitur, caputq; eius refertur in castra redeuntes equi-
tes, quos possunt consectantur, atq; occidunt. Hac re co-
gnita omnes Eburonū, & Neruiorum, quæ conuenerāt
copiæ, discedunt, pauloq; habuit post id factum Cæsar
quietiorem Galliam.

Induciomari
mors,

C. IULII CAESARIS
COMMENTARIO-
RVM DE BELLO
GALLICO LIB.
SEXTVS.



VLTIIS de Causis Cæsar maiorem
Galliæ motum expectans, per M. Sylla-
num, C. Antistium Reginum, T. Sextiū
legatos, delectum habere instituit. Simul
ab Cn. Pompeio proconsule petit, quo-
niam ipse ad urbem cum imperio Reipub. causa maneret,
quos ex cisalpina Gallia consulis sacramento rogauisset,
ad signa conuenire, & ad se proficisci iuberet: magni in-
teresse, etiam in reliquum tempus, ad opinionem Galliæ
existimās, tantas uideri Italiæ facultates, ut si quid esset in
bello detrimenti acceptum, non modo id breui tempore
i sarciri,

Cæsar Nervios
subigit.

sarciri, sed etiã maioribus adaugeri copijs posset. Quod cum Pompeius, & Reipub. & amicitia tribuisset, celeriter confecto per suos delectu tribus ante exactam hyemẽ, & cõstitutis, & adductis legionibus, duplicatoq; earum cohortium numero, quas cum Q. Titurio amiserat, & celeritate, et copijs docuit, quid populi Romani disciplina, atq; opes possent. Interfecto Induciomaro, ut docuimus, ad eius propinquos à Treueris imperium desertur. Illi finitimos, atq; Germanos sollicitare, & pecuniam polliceri non desistunt: cum ab proximis impetrare non possent, ultiores tentant, inuentis nonnullis ciuitatibus iureiurando inter se confirmant, obsidibusq; de pecunia cauent. Ambiorigem sibi societate, & fœdere adiungunt. Quibus rebus cognitis, Cæsar, cum undiq; bellum parari uideret, Nervios, Aduaticos, ac Menapios, adiunctis cisrhenanis omnibus Germanis esse in armis. Senõnes ad imperatum non uenire, & cum Carnutibus, finitimisq; ciuitatibus consilia cõmunicare, à Treueris Germanos crebris legationibus sollicitari, maturius sibi de bello cogitandum putauit. Itaq; nõ dum hyeme confecta, proximis quatuor legionibus coactis, de improviso in fines Nerviorum contendit, & prius, quàm illi aut cõuenire, aut profugere possent, magno pecoris, atq; hominũ numero capto, atq; ea præda militibus concessa, uastatisq; agris, in deditionẽ uenire, atq; obsides sibi dare coegit. Eo celeriter confecto negotio, rursus legiones in hyberna reduxit. Cõsilio Gallie primo uere (ut instituerat) indicto, cum reliqui præter Senõnes, Carnutes, Treuerosq; uenissent, initium belli, ac defectionis hoc esse arbitratus, ut omnia postponere uideretur,

deretur, concilium in Lutetiam Parisiorum trāsfert. (Cō ^{Lutetia.} ^{Parisijs.}

fines erant hi Senonibus, ciuitatemq; patrum memoria cō

iunxerant, sed ab hoc consilio abfuisse existimabantur.)

Hac re pro suggestu pronuntiata, eodem die cum legio-

nibus in Senōnes proficiscitur, magnisq; itineribus eō

peruenit. Cognito eius aduentu Acco, ^{Acco.}

consilij fuerat, iubet in oppida multitudinem conuenire.

Conatibus, prius quā effici posset, adesse Romanos nū-

tatur: necessario sententia desistunt, legatosq; deprecā-

di causa ad Cæsarem mittunt. Adeunt per Heduos, quo-

rum antiquitus erat in fide ciuitas, libēter Cæsar petenti-

bus Heduis, dat ueniā, excusationemq; accipit, quōd æsti-

uum tempus instantis belli, non quæstionis esse arbitra-

tur. Obsidibus imperatis cētum, hos Heduis custodiēdos

tradit. Eodem Carnutes legatos, obsidesq; mittūt, usi de-

precatoribus Rhemis, quorum erāt in clientela, eādē fē-

runt responsa. Peragit concilium Cæsar, equitesq; impe-

rat ciuitatibus. Hac parte Gallie pacata, totus ex mente,

ex animo in bellū Treuerorum, ex Ambiorigis insistit.

Caurinū cum equitatu Senōnum secū proficisci iubet, ^{Caurinus,}

nequis aut ex huius iracundia, aut ex eo, quod metuerat,

odio ciuitatis motus existat. His rebus constitutis, quod

pro explorato habebat Ambiorigē prælio non esse cōcer-

taturum, reliqua eius cōsilia animo circumspeciebat. Erāt

Menapij propinqui Eburonū finibus, perpetuis paludi-

bus, syluisq; muniti, qui uni ex Gallia de pace, ad Cæsare

legatos nunquam miserant, cum ijs esse hospitium Ambio-

rigi sciebat. Item per Treueros uenisse Germanos in ami-

citiam cognouerat. Hæc prius illi detrahanda auxilia

Menapiorū de-
ditio

*als, mißu.

existimabat, quā ipsum bello laceffendum, ne desperata salute, aut se in Menapios abderet, aut cum transrhena- nis congredi cogeretur. Hoc inito consilio totius exercitus impedimēta ad Labienum in Treueros mittit, duasq; legiones ad eum proficisci iubet. Ipse cum legionibus expeditis quinq; in Menapios proficiscitur. Illi nulla coacta manu loci præsidio freti in sylvas, paludesq; confugiunt, suaq; eodem conferunt. Cæsar partitis copijs cum C. Fabio legato, & M. Crasso quæstore, celeriterq; effectus potibus, adiit tripatito, ædificia, uicosq; incendit, magno pecoris, atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapij legatos ad eū pacis petendæ causa mittunt. Ille obsidibus acceptis hostium se habiturum numero confirmat, si aut Ambiorigem, aut eius legatos finibus suis recepissent. His confirmatis rebus Comium Atrebatē cum equitatu, custodis loco in Menapijs relinquit, ipse in Treueros proficiscitur. Dū hæc à Cæsare geruntur, Treueri magnis coactis peditatus, equitatusq; copijs, Labienum cum una legione, quæ in eorum finibus hyemauerat, adoriri parabant. Iamq; ab eo non longius bidui uiderant, cum duas uenisse legiones* iussu Cæsaris cognoscunt, positis castris à millibus passuum x v. auxilia Germanorum expectare constituunt. Labienus hostium cognito consilio, sperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem, quinque cohortium præsidio impedimentis relicto, cum uigintiquinque cohortibus, magnosq; equitatu, contra hostem proficiscitur, & mille passuum intermisso spatio castra communit. Erat inter Labienum, atque hostem difficili transitu flumen, ripisq; præruptis.

Hoc

Hoc neque ipse transire habebat in animo, neque hosteis transiuros existimabat. Augebatur auxiliorum quotidie spes, loquitur in concilio palam, quoniam Germani appropinquare dicuntur, sese suas, exercitusque fortunas in dubium non deuocaturum, et postero die prima luce castra moturum. Celeriter hæc ad hosteis deferuntur, ut ex magno Gallorum equitatus numero nonnullos Gallicis rebus fauere natura cogeat. Labienus noctu tribunis militum, primisque ordinibus conuocatis, quid sui consilij sit, proponit, et quò facilius hostibus timoris det suspitionem, maiore strepitu, et tumultu quam populi Romani fert consuetudo, castra moueri iubet. His rebus fugæ similem profectionem efficit. Hæc quoque per exploratores ante lucem in tanta propinquitate castrorum ad hosteis deferuntur. Vix agmen nouissimum extra munitiones processerat, cum Galli cohortati inter se, ne speratam prædā ex manibus dimitterent: longum esse, perterritis Romanis Germanorum auxilium expectare: neque suam partem dignitatem, ut tantis copijs tam exiguam manum, præsertim fugientem, atque impeditam, adoriri non audeant, flumen transire, et iniquo loco prælium committere non dubitat. Quæ fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, eadem usus simulatione itineris, placide progrediebatur. Tum præmissis paulum impeditis, atque in tumultu quodam collocatis, Habetis, inquit, milites quam petistis facultatem: hostem impedito, atque iniquo loco tenetis: præstate eandem nobis ductibus uirtutem, quam sæpenumero imperatori præstitistis: eum adesse, et hæc coram cernere existimate. Si-

Labieni strata-
gema.

Labieni cum
Treuiris præ-
lium, & Treue-
torum fuga.

Cæsar Rhenum
transire consti-
tuit.

multa signa ad hostem conuerti, aciemque dirigi iubet, et paucis turmis præsidio ad impedimenta dimissis, reliquos equites ad latera disponit. Celeriter nostri clamore sublato pila in hostes iaciunt. Illi ubi præter spem quos fugere credebant infestis signis ad se ire uiderunt, impetum modò ferre non potuerunt, ac primo concursu in fugam coniecti, proximas siluas petiuerunt: quos Labienus equitatu consectatus, magno numero interfecto, compluribus captis, paucis post diebus ciuitatem recipit. Nam Germani, qui auxilio ueniebant, percepta Treuerorum fuga, sese domum contulerunt. Cum ijs propinqui Induciomari, qui defensionis autores fuerant, comitati eos ex ciuitate excessere. Cingetorigi, quem ab initio permanisse in officio demonstrauimus, principatus, atque imperium est traditum. Cæsar postquam ex Menapijs in Treueros uenit, duabus de causis Rhenum transire constituit. Quarum erat altera, quod auxilia contra se Treueris miserant. Altera, ne Ambiorix receptum ad eos haberet. His constitutis rebus paulum supra eum locum, quo antea exercitum traduxerat, facere pontem instituit. Nota atque instituta ratione, magno militum studio, paucis diebus opus efficitur, firmo in Treueris præsidio ad pontem relicto, ne quis ab his subito motus oriretur, reliquas copias, equitatumque traducit.

Vbij. Vbij qui ante obsides dederant, atque in deditionem uenerant, purgandi sui causa ad eum legatos mittunt, qui doceant, neque ex sua ciuitate auxilia in Treueros misisse, neque ab se fidem lesam petunt, atque orant, ut sibi parcat, ne communi odio Germanorum, innocentes pro nocentibus poenas pendant: si amplius obsidum uellet, dare polli

pollicentur. Cognita Cæsar causa, reperit ab Sueuis auxilia missa esse. Vbiorum satisfactionem accepit, aditus, viasq; in Sueuos perquiri. Interim paucis post diebus fit ab Vbijs certior, Sueuos omnes in unum locum copias cogere, atque his nationibus, quæ sub eorum sunt imperio denuntiare, ut auxilia, peditatus, equitatusq; mitant. His cognitis rebus, rem frumentariam prouidet, castris idoneum locum deligit. Vbijs imperat, ut pecora deducant, suaq; omnia ex agris in oppida conferant, spersis barbaros, atque imperitos homines inopia cibarium adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse deduci. Mandat, ut crebros exploratores in Sueuos mitant, quæq; apud eos gerantur, cognoscant. Illi imperata faciunt, & paucis diebus intermissis, referunt Sueuos omnes, posteaquam certiores nuntij de exercitu Romanorum uenerant, cum omnibus suis sociorumq; copijs, quas coëgissent, penitus ad extremos fines sese recepisse. Syluam esse ibi infinitæ magnitudinis, quæ appellatur Bacenis, ac longe introrsus pertinere, & pro natiuo muro obiectam, Cheruscas à Sueuis, Sueuosq; à Cheruscis iniurijs, incursionibusq; prohibere, ad eius initium syluæ Sueuos aduentum Romanorum expectare constituisse. Quoniam ad hunc locum peruentum est, nō alienum esse uidetur de Galliæ, Germaniæq; moribus, & quò differant eæ nationes inter sese, proponere. In Galliâ non solum in omnibus ciuitatibus, atq; pagis, partibusq; sed penè etiam in singulis domibus factiones sunt, earumq; factionum sunt principes, qui summam auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quomodo

Sueui.

Bacenis sylua.
Cheruscis.De Galliæ, &
Germaniæ moribus.

i 4 rum

rum ad arbitrium, iudiciumq; summa omnium rerum, consiliorumq; redeat. Idq; eius rei causa antiquitus institutum uidetur, ne quis ex plebe contra potentiores auxilij egeret. Suos enim opprimi quisque, & circumueniri non patitur, neque aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem. Hæc eadē ratio est in summa totius Gallia: namque omnes ciuitates in duas partes diuisæ sunt.

Hedui.
Sequani.

Cum Cæsar in Galliam uenit alterius factionis principes erant Hedui, alterius Sequani. Ii cum per se minus ualerēt, quod summa auctoritas antiquitus erat in Heduis, magnæq; eorum erant clientele, Germanos, atque Ariouistum sibi adiunxerant, eosq; ad se magnis iacturis, pollicitationibusq; perduxerant. Prælijs uero compluribus factis secundis, atque omni nobilitate Heduatorum interfecta, tantum potentia antecefferant, ut magnam partem clientium ab Heduis ad se traducerent, obsidesq; ab his principum filios acciperent, & publice iurare cogerent, nihil se contra Sequanos consilij inituros, & partem finitimi agri per uim occupatam possiderent, Galliaq; totius principatum obtinerent. Qua necessitate adductus Diuitiacus, auxilij petendi causa Romam ad Senatū profectus, infecta re redierat. Aduentu Cæsaris facta commutatione rerum, obsidibus Heduis redditis, ueteribus clientelis restitutis, nouis per Cæsarem comparatis, quod ij, qui se ad eorum amicitiam aggregauerant, meliore conditione, atque Imperio æquiore se uti uidebant. Reliquis rebus eorum, gratia, dignitatēq; amplificata Sequani principatum dimiserant. In eorum locum Rhemi successerant, quos, quod adæquare apud Cæsa

Rhemi.

Cæsa

Cæsarem gratia intelligebatur, ij, qui propter ueteres inimicitias nullo modo cum Heduis coniungi poterant, se Rhemis in clientelam dicabant. Hos illi diligenter tuebantur, ita & nouam, & repente collectam auctoritatem tenebant. Eo tum statu res erat, ut longe principes haberentur Hedui: secundum locum dignitatis Rhemi obtinerent. In omni Gallia eorum hominum, qui in aliquo sunt numero, atque honore, genera sunt duo: Nam plebs penè seruorū habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio. Plerique cum aut ere alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, sese in seruitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia sunt iura, quæ dominis in seruos. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum Equitum. Illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica, ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causæ concurrit, magnoq; ij sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis, priuatisq; constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, de finibus controuersia est, ijdem discernunt, præmia, pœnasq; constituunt. Si quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorū, sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neq; ijs petentibus ius redditur, neq; hos nos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus

Plebs Gallorū.

Druides.

i s præst

Carnutes.

præst unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur, nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Li certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Gallie media habetur, confidunt in loco consecrato, huc omnes undiq; qui controuersias habent, conueniunt, eorumq; iudicijs decretisq; parent. Disciplina in Britania reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoscere uolunt, plerunq; illò discendi causa proficiunt. Druides à bello abesse consueuerunt, neq; tributa unum cum reliquis pendunt, militie uacationem, omniumq; rerum habent immunitatem, tantis excitati præmijs, et sua sponte multi in disciplinam conueniunt, et à propinquis, parentibusq; mittuntur. Magnum ibi numerum uersuum ediscere dicuntur. Itaq; nonnulli annos uicenos in disciplina permanent, neq; fas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus publicis, priuatisq; rationibus Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse uidentur, quod neque in uulgum disciplinam efferi uelint, neq; eos, qui discunt, literis confisos minus memorie studere, quod fere plerisq; accidit, ut præsidio literarum diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. In primis hoc uolunt persuadere, non interire animas, sed ab alijs post mortem transire ad alios, atq; hoc maxime ad uirtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de syderibus, atq; eorum motu: de mundi, ac terrarum magnitudine: de re-

Galli græcis literis utuntur.

Animarum immortalitas.

rum natura, de Deorum immortalium ui, ac potestate disputant, & iuuentuti tradunt. Alterum genus est equitum. II, cum est usus, atq; aliquod bellum incidit, quod ante Cæsaris aduentum ferè quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent, aut illatas propulsarent, omnes in bello uersantur, atque eorum ut quisq; est genere, copijsq; amplissimus, ita plurimos circum se ambactos, clientesq; habet. Hanc unam gratiam, potentiamq; nouerunt. Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atq; ob eam causam, qui sunt affecti grauioribus morbis, quiq; in prælijs, periculisq; uersantur, aut pro uictimis homines immolant, aut se immolatu- ros uouent, administrisq; ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro uita hominis, nisi uita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceq; eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alij immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta uiminibus membra uiuis hominibus complent, quibus succensis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxia sint comprehensi, gratiora Dijs immortalibus esse arbitrantur. Sed cum eius generis copia deficit, etiam ad innocentiam supplicia descendunt. Deum maxime Mercurium colunt, huius sunt plurima simulacra. Hunc omnium inuentorem artium ferunt: hunc uiarum, atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasq; habere uim maximam arbitrantur. Post hunc Appollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam. De his eandè ferè, quam reliquos

Equites Galli.

Galli religionibus dediti.

Deus Gallorū
precipuus Mer-
curius.

reliquæ gentes habēt opinionem: Apollinem morbos de-
 pellere: Mineruam operum, atque artificiorum initia
 tradere: Iouem imperium coelestium tenere: Martem
 bella regere. Huic, cum prælio dimicare constituerunt,
 ea, quæ bello ceperunt, plerunq; deuouent, quæ supera-
 uerint animalia capta immolant, reliquasq; res in unum
 locum conferunt. Multis in ciuitatibus harum rerum ex-
 tractos cumulos locis consecratis conspiciari licet, neque
 sepe accidit, ut neglecta quispiam religione, aut capta
 apud se occultare, aut posita tollere auderet, grauissi-
 mumq; ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

Galli à Dite pa-
 tre prognati.

Galli se omnes ab Dite Patre prognatos prædicant, Idq;
 ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia
 omnis temporis, non numero dierum, sed noctium fini-
 niunt: & dies natales, & mensium, & annorum initia sic
 obseruant, ut noctem dies subsequatur. In reliquis uitæ
 institutis hoc ferè ab reliquis differunt, quòd suos libe-
 ros, nisi cum adoleuerint, ut munus militiæ sustinere
 possint, palàm ad se adire non patiantur: filiumq; in pue-
 rili ætate publico in conspectu patris assistere turpe du-
 cunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine
 acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione facta cum
 dotibus communicant: huius omnis pecuniæ coniunctum
 ratio habetur, fructusq; seruantur: uter eorum uita su-
 perarit, ad eum pars utriusq; cum fructibus superiorum
 temporum peruenit. Viri in uxores, sicuti in liberos,
 uitæ, necisq; habent potestatem. Et cum paterfamilias
 illustriore loco natus decessit, eius propinqui conueniunt,
 & de morte, si res in suspicionem uenit, de uxoribus in
 seruilem

seruilem

seruilem modum quæstionem habent: & si compertum est, igni, atq; omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica; & sumptuosa, omniaq; quæ uiuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulò supra hanc memoriam serui, & clientes, quos ab ijs dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur. Quæ ciuitates commodius suam Rempublicam administrare existimantur, habent legibus sancitum. Si quis quid de Rep. à finitimis rumore, aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat, ne uel cum quo alio communicet, quod sæpe homines temerarios, atq; imperitos falsis rumoribus, terreri, & ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quæ uisa sunt occultant, quæq; esse ex usu iudicauerint, multitudini produnt. De Rep. nisi per concilium loqui non conceditur. Germani multum ab hac consuetudine differunt, nam neq; Druides habent, qui rebus diuinis præsent, neq; sacrificijs student. Deorum numero eo solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte iuuantur. Solem & Vulcanum & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in uenationibus, atque in studijs rei militaris consistit: ab parulis duritiæ, ac labori student. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. Hoc ali statuerant, ali hoc uires, neruosq; confirmari putant. Intra annum uero uigesimum foeminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus, cuius rei nulla est occultatio, quod & promiscue in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut paruis

Germanorum
mores.

Dij Germano-
rum.

paruis Rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Agricultura non student, maiorq; pars eius eorum in lacte, & caseo, & carne consistit: neq; quicquam agri modum certum, aut fineis proprios habet, sed magistratus, ac principes in annos singulos gentibus, cognationibusq; hominum, qui unâ coierunt, quantum eis, & quo loco uisum est, attribuant agri, atq; anno post, aliò transire cogunt. Eius rei multas afferunt causas, ne assidua consuetudine capti, studium belli gerendi, agricultura commutent, ne latos fineis parare studeant, potentioresq; humiliores possessionibus expellant: ne acceratius ad frigora, atque æstus uitandos ædificent: ne quæ oriatur pecuniæ cupiditas, quæ ex re factiones, dissensionesq; nascuntur, ut animi æquitate plebē contineant, cum suas quisq; opes cum potentissimis æquari uideat. Ciuitatibus maxima laus est, quam latissimis circum se uastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium uirtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neq; quenquam propè se audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. Cum bellum ciuitas, aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello præsent, ut uitæ necisq; habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum, atq; pagorum inter suos ius dicunt, controuersiasq; minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusq; ciuitatis fiunt, atq; ea iuentutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant. Atq; ubi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore, qui se qui uelint profiteantur, cōsurgunt ij, qui

et causant

et causam, et hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur, qui ex ijs secuti non sunt in desertorum, ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum ijs postea fides derogatur. Hostes uiolare fas non putant, qui quaque de causa ad eos uenerunt ab iniuria prohibent, sanctosque habent, ijs omnium domus patent, uictusque communicatur. Ac fuit antea tempus cum Germanos Galli uirtute superarent, et uultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam trans rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quae fertilissima sunt Germaniae loca circum Hercyniam syluam (quam Eratostheni, et quibusdam Graecis fama notam esse uideo, quam illi Orciniam appellant) uulgo Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt. Quae gens ad hoc tempus his sedibus se continet, summamque habet iustitiae, et bellicae laudis opinionem. Nunc quod in eadem inopia, egestate, patientiaque Germani permanent, eodem uictu, et cultu corporis utuntur. Gallis autem propinquitias, et transmarinarum rerum notitia multa ad copiam, atque usus largitur, paulatim assuefacti superari, multisque uicti praelijs, ne se quidem ipsi cum illis uirtute comparant. Huius hercyniae syluae, quae supra demonstrata est latitudo nouem dierum itinere expedito patet, non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubij regione pertinet ad fines Dacorum, et Anartiu: hinc se flectit sinistrorsus, diuersis à summe regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est huius Germaniae,

Hercyniae syl-
ua.

Orcinia.

Tectosages.

Hercyniae syl-
uae latitudo.

Germaniae,

Bos hercyniæ
sylvæ.

Alces.

Vri.

Germaniæ, qui se aut audisse, aut adisse ad initium eius sylvæ dicat cum dierum iter LX. processerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Multa in ea genera ferarum nasci constat, quæ reliquis in locis visa non sint, ex quibus quæ maxime differant ab ceteris, & memoriæ prodenda videantur, hæc sunt: Est bos cervi figura, cuius à media fronte inter aures unum cornu existit excelsius, magis quæ directum his, quæ nobis nota sunt cornibus, ab eius summo sicut palmæ, ramique late diffunduntur: eadem est fœminæ, marisque natura, eadem forma, magnitudoque cornuum. Sunt item quæ appellantur Alces. Harum est consimilis capris figura, & varietas pelium, sed magnitudine paulò antecedunt, mutilæque sunt cornibus, & crura sine nodis, articulisque habent, neque quietis causa procumbunt, neque si quo afflictæ casu conciderunt, erigere sese, aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant, atque ita paulum modo reclinatæ quietem capiunt, quarum ex uestigijs, cum est animaduersum à uenatoribus, quò se recipere cōsueverint, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut abscidunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur, huc cum se consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque una ipsæ concidunt. Tertium est genus eorum, qui Vri appellantur: ij sunt magnitudine paulò infra Elephantos, specie, & colore, & figura tauri, magna uis est eorum, & magna uelocitas: neque homini, neque feræ, quam conspexerunt, parant: hos studiose foueis captos interficiunt. Hoc se labore durant adulescentes, atque hoc genere uenationis exercent:

exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, & mansuescieri, ne parvuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum & figura, & species multum à nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiose conquisita, ab labris argento circumcludunt, atq; in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

Cæsar postquam per Vbios exploratores comperit, Suenos sese in sylvas recepisse, inopiam frumenti uertit, quod ut supra demonstrauius, minime omnes Germani agriculturæ student, constituit non progredi longius, sed ne omnino metum reditus sui barbaris tolleret, atq; ut eorum auxilia tardaret, reducto exercitu partem ultimam pontis, quæ ripas Vbiorum contingebat in longitudinem pedum ducentorum rescindit, atq; in extremo ponte turrim tabulatorum quatuor constituit, præsidiumq; cohortium duodecim pontis tuendi causa ponit, magnisq; cum locum munitionibus firmat. Ei loco, præsidioq; C. Volcatium Tullum adolescentem præfecit: ipse cum maturefcere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectus, per arduennam sylvam, quæ est totius ^{Arduenna syl-} Gallie maxima, atq; ab ripis Rheni, finibusq; Treuerorum ad Nervios pertinet, millibusq; amplius quingentis in longitudinem patet. L. Minutium Basilium cum omni equitatu præmittit, si quid celeritate itineris, atq; opportunitate temporis proficere possit, monet, ut igneis fieri in castris prohibeat, ne qua eius aduentus procul significatio fiat, sese confestim subsequi dicit. Basilium ut imperatum est, facit, celeriter contraq; omnium opinionem

k confecto

Arduenna syl-
ua.

confecto itinere multos in agris inopinantes deprehendit, eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit, quo in loco cum paucis equitibus esse dicebatur. Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari Fortuna potest: nam magno accidit casu, ut in ipsum incautum, atque etiam imparatum incideret, priusq; eius aduentus ab hominibus uideretur, quam fama, ac nuntijs afferretur, sic magne fuit fortuna, omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto, rhedis, equisq; comprehensis ipsum effugere mortem. Sed hoc quoq; factum est, quod aditicio circumdato sylua, ut sunt ferè domicilia Gallorū, qui uitandi aestus causa plerunq; sylvarum, ac fluminum petunt propinquitates, comites familiaresq; eius angusto in loco equitum nostrorum uim paulisper sustinuerunt, ipsi pugnantibus, illum in equum quidam ex suis intulit, fugientem syluæ texerunt: sic ad subeundum periculum, et ad uitandum, multum fortuna ualuit. Ambiorix an copias suas iudicio non conduxerit, quod prælio dimicandum non existimauerit, an tempore exclusus, et repente equitum aduentu prohibitus fuerit, cum reliquum exercitum subsequi crederet, dubium est. Sed certe clam dimissis per agros nuntijs, sibi quæq; consulere iussit, quorum pars in arduennam syluam, pars in continentes paludes profugit. Qui proximi oceano fuerunt, ibi in insulis sese occultauerunt, quas aestus efficere consuevit. Multi ex suis finibus egressi, se, suaq; omnia alienissimis crediderunt. Catuulcus rex dimidiæ partis Eburonum, qui una cum Ambiorige consilium inierat, etate iam confectus, cum laborem, aut belli, aut fugæ ferre non posset,

Ambiorigis fuga.

Catuulci mors.

omnibus

omnibus precibus detestatus Ambiorigem, qui eius consili-
 j autor fuisset, taxo, cuius magna in Gallia Germaniâq;
 copia est, se exanimavit. Segni, Condrusiq; ex gente, &
 numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Treue-
 rosq;, legatos ad Casarem miserunt oratum, ne se in ho-
 stium numero duceret, ne ue omnium Germanorum,
 qui essent citra Rhenum causam esse unam iudicaret, ni-
 hil se de bello cogitasse, nulla Ambiorigi auxilia misisse.
 Casar explorata re questione captiuorum, si qui ad eos
 Eburones ex fuga conuenissent, ad se ut reducerentur
 imperavit. Si ita fecissent, fines eorum se uiolaturum ne-
 gavit. Tum copijs in treis parteis distributis, impedi-
 menta omnium legionum ad Vatuca[m] contulit. Id castel-
 li nomen est, hoc ferè est in medijs Eburonum finibus,
 ubi Titurius, atq; Aurunculeius hyemandi causa conse-
 derant. Hunc cum reliquis rebus locum probabat Cæ-
 sar, tum quòd superioris anni munitiones integre mane-
 bant, ut militum laborem subleuaret. Præsidio impedi-
 mentis legionem quartandecimam reliquit, unam ex his
 tribus, quas proxime conscriptas, ex Italia traduxerat.
 Ei legioni, castrisq; Quintum Tullium Ciceronem præ-
 fecit, ducentosq; equites attribuit. Partito exercitu, T.
 Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum uersus
 in eas parteis, quæ Menapios attingunt proficisci iubet,
 C. Trebonium, cum pari legionum numero ad eam re-
 gionem, quæ Aduaticis adiacet, depopulandam mittit.
 Ipse cum reliquis tribus ad flumen Scaldem, quod in-
 fluit in Mosam, extremisq; Arduennæ parteis, ire con-
 stituit: quo cum paucis equitibus profectum Ambiorigem

Segni.
Condrusi,

Vatuca

Q. Tul. Cicero,

T. Labienus,

Scalde fl.

audiebat: discedens, post diem septimum sese reuersurum confirmat: quam ad diem ei legioni, quæ in præsidio relinquebatur deberi frumentum sciebat: Labienum, Treboniumq; hortatur, si Reipublicæ commodo facere possint, ad eam diem reuertantur, ut rursus cōmunicato consilio, exploratisq; hostium rationibus, aliud initium belli capere possint. Erat, ut supra demonstrauius, manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet, sed in omneis parteis dispersa multitudo, ubi cuiq; aut uallis abdita, aut locus sylue stris, aut palus impedita, spem præsidij, aut salutis aliquam offerebat, confederat. Hæc loca uicinitatibus erant nota: magnamq; res diligentiam requirebat, non in summa exercitus tuenda (nullum enim poterat uniuersis perterritis, ac dispersis periculum accidere) sed in singulis militibus conseruandis, quæ tamen ex parte res, ad salutem exercitus pertinebat: nam & prædæ cupiditas multos longius euocabat, ac syluæ incertis, occultisq; itineribus confertos adire prohibebāt. Si negocium confici, stirpemq; hominum sceleratorum interfici uellet, dimittendæ plures manus, ducendiq; erant milites. Si continere ad signa manipulos uellet (ut instituta ratio, & consuetudo exercitus Romani postulabat) locus ipse erat præsidio barbaris, neq; ex occulto insidiandi, & dispersos circumueniendi singulis deerat audacia, ut in eiusmodi difficultatibus, quātum diligentia prouideri poterat, prouidebatur: ut potius in nocendo aliquid omitteretur (& si omnium animi ad ulciscendum ardebant) quam cum aliquo detrimento militum noceretur. Cæsar ad finitimas ciuitates nuntios dimittit.

omneis

omneis euocat spe prædæ ad diripiendos Eburones, ut
 potius in syluis Gallorum uita, quam legionariorum pe-
 riclitaretur, simul ut magna multitudine circumfusa pro-
 tali facinore, stirps ac nomen ciuitatis tollatur. Magnus
 undiq; numerus celeriter conuenit. Hæc in omnibus Ebu-
 ronum partibus gerebantur, diesq; adpetebat septimus,
 quem ad diem Cæsar ad impedimenta legionemq; reuerti
 constituerat. Hic quantum in bello Fortuna possit, et
 quantos afferat casus cognosci potuit: dissipatis, ac per-
 teritis hostibus (ut demonstrauius) manus erat nulla,
 que paruam modo timoris causam afferret. Trans Rher-
 num ad Germanos peruēnit fama, diripi Eburones, atq;
 ultro omneis ad prædam euocari: cogunt equitum duo
 millia Sicambri, qui sunt proximi Rheno, à quibus rece-
 ptos ex fuga Tenchtheros, atq; Vsiptes, supra docui-
 mus, transeūtes Rhenum nauibus ratibusq; triginta mila-
 libus passuum, infra eum locum ubi pons erat imperfe-
 ctus, præsidiumq; ab Cæsare relictum, primos Eburonū
 fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno
 pecoris numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiun-
 tur. Inuitati præda longius procedunt: non hos palus in
 bello latrocinijq; natos, non syluæ morantur: quibus in
 locis sit Cæsar, ex captiuis quærent, profectum longius
 reperiunt, omnemq; exercitum discessisse cognoscūt, atq;
 unus ex captiuis, Quid uos, inquit, hanc miseram, ac te-
 nuem sectamini prædam, quibus iam licet esse fortunatis-
 mis, tribus horis ad Vatuacam uenire potestis. Huc omneis
 suas fortunas exercitus Romanorū contulit: præsidij tan-
 tum est, ut ne murus quidem cingi possit, neq; quisquam

Sicambri transiit
 Rhenum ut Ebu-
 rones præderent

k 3 egredi

egredi extra munitiones audeat. Oblata spe, Germani quam nacti erant prædam, in occulto relinquunt, ipsi ad Vatuca[m] contendunt, usi eodem duce, cuius hæc indicio cognouerant. Cicero qui per omnes superiores dies præceptis Caesaris summa diligentia milites in castris continuisset, ac ne calonem quidem quenquam extra munitionem egredi passus esset, septimo die diffidens Casarem de numero dierum fidem seruaturum, quod longius eum progressum audiebat, neq[ue] ulla de eius reditu fama afferebatur, simul eorum permotus uocibus, qui illius patientiam penè obfessionem appellabant, siquidem ex castris egredi non liceret, nullum eiusmodi casum expectans, quo, nouem oppositis legionibus, maximoq[ue] equitatu, dispersis, ac penè deletis hostibus, in millibus passuum tribus offendi posset, quinq[ue] cohortes frumentatum in proximis segetes misit, quas inter, & castra unus omnino collis intererat. Complures erant in castris ex legionibus ægri relictis, ex quibus quib[us] oc spatio dierum conualuerant circiter 300. sub uexillo unâ mittuntur, magna præterea multitudo calonum, magna uis iumentorum, quæ in castris subsederat, facta potestate sequitur: hoc ipso tempore, & casu Germani equites interueniunt, protinusq[ue] eodê illo, quo uenerant cursu ab decumana porta in castra irrumpere conantur, nec prius sunt uisi obiectis ab ea parte syluis, quam castris appropinquaret, usq[ue] eo, ut qui sub uallo tenderent mercatores, recipiendi sui non haberent facultatem. Inopinantes nostri re noua perturbantur, ac uix primum impetum cohors in statione sustinet, circumfunduntur hostes ex reliquis partibus, si quem aditum

Sicambri castra
Ciceronis ag-
grediuntur.

aditum reperire possent, ægre nostri portas tuentur, reliquos aditus locus ipse per se, munitioq; defendit, totis trepidatur castris, atque alius ex alio causam tumultus querit, neq; quo signa ferantur, neque quam in partem quisq; conueniat, prouident. Alius iam capta castra pronuntiat, alius deleto exercitu, atq; Imperatore uictores barbaros uenisse contendit, pleriq; nouas sibi ex loco religiones fingunt, Cottæq; & Titurij calamitatem, qui in eodem occiderint castello ante oculos ponunt. Tali timore omnibus perterritis, cõfirmatur opinio barbaris, ut ex captiuo audierant, nullum esse intus præsidium: periculum nituntur, seq; ipsi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant. Erat æger in præsidio relictus P. Sextius Baculus, qui primū pilum apud Cæsarem duxerat, cuius mentionem superioribus prælijs fecimus, ac diem iam quintum cibo caruerat. Hic diffusus suæ, ac omnium saluti, inermis ex tabernaculo prodit, uidet imminere hostis, atque in summo esse rem discrimine, capit arma à proximis, atque in porta cõsistit. Sequuntur hunc Centuriones eius cohortis, quæ in statione erat. Paulisper prælium unà sustinent: relinquit animus Sextium, grauib; acceptis uulneribus: deficiens, ægre per manus tractus seruatur. Hoc spatio interposito, reliqui sese confirmant, tantum ut in munitionibus consistere audeant, speciemq; defensorum præbeant. Interim confecta frumentatione, milites nostri clamorem exaudiunt, præcurrunt equites, quāto res sit in periculo, cognoscūt. Hic uero nulla munitio est, quæ perterritos recipiat: modo conscripti, atq; usus militaris imperiti, ad tribunū militum, Cæturionesq;

P. Sextius Baculus.

ora conuertunt, quid ab his præcipiatur, expectant. Nemo est tam fortis, qui non rei nouitate perturbetur. Barbari signa procul conspicati, ab oppugnatione desistunt, redisse primo legiones credunt, quas longius discessisse ex captiuis cognouerant. Postea despecta paucitate ex omnibus partibus impetum faciunt: calones in proximum tumultum procurrunt, hinc celeriter deiecti se in signa, manipulosq; conijciunt. Eò magis timidos perterret milites. Alij cuneo facto, ut celeriter perrumpant, censent, quoniam tam propinqua sint castra, & si pars aliqua circumuenta ceciderit, at reliquos seruari posse confidunt. Alij ut in iugo consistant, atque eundem omnes ferant casum. Hoc ueteres non probant milites, quos sub uexillo iam profectos docuimus, itaq; inter se cohortati duce C. Trebonio equite Romano, qui eis erat præpositus, per medios hosteis perrumpunt, incolumesq; ad unum in castra perueniunt omnes, hos subsecuti calones, equitesq; eodem impetu, militum uirtute seruantur. At ij, qui in iugo constiterant nullo etiam nunc usu rei militaris percepto, neque in eo, quod probauerant consilio permanere, ut se loco superiore defenderent, neque eam, quam profuisse alijs uim, celeritatemq; uiderant, imitari potuerunt, sed se in castra recipere conati, iniquum in locum demiserunt. Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum causa uirtutis in superiores erant ordines huius legionibus traducti, ne ante partem rei militaris laudem amitterent, fortissime pugnantes conciderunt: militum pars horum uirtute summotis hostibus præter spem incolumis in castra peruenit: pars à barbaris

barbaris circumuenta perijt. Germani desperata expugnatione castrorum, quod nostros iam consutiisse in munitionibus uidebant, cum ea praeda, quam in syluis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt: ac tantus fuit etiam post discessum hostium, terror, ut ea nocte, cum C. Volusenus missus cum equitatu ad castra uenisset, fidem non haberent, adesse cum incolumi Caesarem exercitu. Sic omnium animos timor praecupauerat, ut penè alienata mente, deletis omnibus copijs, equitatum se ex fuga recepisse dicerent, neque incolumi exercitu Germanos castra oppugnatuuros fuisse contenderent: quem timorem Caesaris aduentus sustulit. Reuersus ille, euentus belli non ignarus, unum, quod cohortes ex statione, et praesidio essent emissae questus, ne minimo quidem casu locum relinqui debuisse, multum Fortunam in repentino hostium aduentu potuisse iudicauit: multò etiam amplius, quod penè ab ipso uallo, portisque castrorum barbaros auertissent. Quarum omnium rerum maxime admirandum uidebatur, quod Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati optatissimè Ambiorigi beneficium obtulerant. Caesar ad uexandos rursus hostes profectus, magno coactio numero ex finitimis ciuitatibus in omneis partibus dimittit, omnes uici, atque omnia aedificia, quae quisque conspexerat, incendebantur: praeda ex omnibus locis agebatur: frumenta non solum à tanta multitudine iumentorum, atque hominum consumebantur, sed etiam anni tempore, atque imbribus procubuerant, ut si qui etiam in praesentia se occultassent, tamè ijs deducto exercitu rerum omnium

Eburonum ue
ratio.

k 5 ino

inopia pereundum uideretur, ac sepe in eum locum uenitum est tanto in omnes partes diuiso equitatu, ut non modo uisum ab se Amborigem in fuga conspexisse dicerent captiui, sed nec planè etiam abesse ex conspectu contederent: ut spe consequendi illata, atque infinito labore suscepto, qui se summam à Cæsare gratiam inituros putarent, penè naturam studio uinceret, semperque paulum ad summam felicitatem de fuisse uideretur, atque ille latebris, aut syluis, aut saltibus se eriperet, et noctu occultatus, alias regiones, partisque peteret non maiore equitum præsidio, quam quatuor, quibus solis uitam suam committere audebat. Tali modo uastatis regionibus exercitum Cæsar duarum cohortium damno Durocortum Rhemorum reducit: concilioque in eum locum Gallie indicto, de coniuratione Senonum et Carnutum quaestionem habere instituit, et de Accone, qui princeps eius consilij fuerat, grauiore sententia pronuntiata, more maiorum supplicium sumpsit. Nonnulli iudicium ueriti profugerunt, quibus cum aqua, atque igni interdixisset, duas legiones ad fines Treuerorum, duas in Lingonibus, sex

Durocortū op.

Concilium Gallie totius.
Acconis supplicium.

Agendicū oppo

reliquas in Senonum finibus Agendici in hybernis collocauit, frumentoque exercitui prouiso, ut instituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus est.

C. Iulij